



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

Gregor <I., Papst>

Lutetia Parisiorum, 1675

Homilia XV. Habita ad populum in basilica sancti Pauli Apostoli, Dominica
in Sexagesima.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74915)

hoc mundo appetat, quod constat quia citius relinquitur: ut si caelestis pastoris veraciter oves sumus, quia in via delectatione non figimur, aeternis pacuis in perventione fatimur.

Lectio sancti Evangelij secundum Lucam.

Cap. 8.

In illo tempore: Cum turba plurima conveniret, & de civitatibus properarent ad Iesum, dixit per similitudinem: Exiit, qui seminavit, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cali comederunt illud. Et aliud cecidit supra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit super spinas, & simul exorta spina suffocaverunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum. Haec dicens, clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat. Interrogant autem eum discipuli eius, quae esset haec parabola. Quibus ipse dixit: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis: ut videntes non videant, & audientes non intelligant. Est autem haec parabola. Semen est verbum Dei. Quod autem secus viam, hi sunt qui audiunt, deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant. Nam quod supra petram, hi sunt qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum. Et hi radices non habent: quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autem in spinas cecidit, hi sunt qui audierunt, & à sollicitudinibus, & divitiis, & voluptatibus vite, cunctes suffocantur, & non referunt fructum. Quod autem cecidit in terram bonam, hi sunt qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.

HOMILIA XV.

Habita ad populum in basilica sancti Pauli Apostoli, Dominica in Sexagesima.

Lectio sancti Evangelij, quam modò, fratres charissimi, audistis, expositione non indiget, sed admonitione. Quam enim per semetipsam Veritas exposuit, hanc discutere humana fragilitas non praesumit. Sed est quòd sollicitè in hac ipsa expositione Dominica pensare debeamus: quia si nos vobis semen verbum, agrum mundum, volucres daemonia, spinas divitias significare diceremus; ad credendum nobis mens forsitan vestra dubitaret. Unde & idem Dominus per semetipsum dignatus est exponere quod dicebat, ut sciatis rerum significationes querere in iis etiam quae per semetipsum noluit explanare. Exponendo ergo quod dixit, figuratè se loqui innotuit: quatenus certos vos redderet, quom vobis nostra fragilitas verborum illius figuras aperiret. Quis enim mihi unquam crederet, si spinas divitias interpretari voluissim, maximè cum ille pungant, istae delectent? Et tamen spinas sunt: quia cogitationum suarum punctationibus mentem lacerant, & cum usque ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto vulnere cruentant. Quas bene hoc in loco,

Matth. 13. c

A alio Evangelista attestante, nequaquam Dominus divitias, sed fallaces divitias appellat. Fallaces enim sunt, quae nobiscum diu permanere non possunt: fallaces sunt, quae mentis nostrae inopia non expellunt. Solae autem divitiae verae sunt, quae nos divites virtutibus faciunt. Si ergo, fratres charissimi, divites esse cupitis, veras divitias amate. Si culmen veri honoris quaeritis, ad caeleste regnum tendite. Si gloriam dignitatum diligitis, in illa superna Angelorum curia adscribi festinate. Verba Domini, quae aure percipitis, mente retinete. Cibis enim mentis est sermo Dei. Et quasi acceptus cibus stomacho languente rejicitur, quando auditus sermo in ventre memoriae non tenetur. Sed quisquis alimenta non retinet, huius profectò vita desperatur. Aeterna igitur mortis periculum formidate, si cibum quidem sanctae exhortationis accipitis, sed verba vitae, id est, alimenta iustitiae in memoria non tenetis. Ecce transit omne quod agitis, & ad extremum iudicium sine ulla momenti interpositione quotidie volentes nolentesque properatis. Cur ergo amatur, quod relinquitur? Cur illud negligitur, quo pervenitur? Mementote quòd dicitur: [Si quis habet aures audiendi, audiat.] Omnes enim qui illic aderant, aures corporis habebant. Sed qui cunctis aures habentibus. [Si quis habet aures audiendi audiat,] dicit; aures proculdubio cordis requirit. Curate ergo, ut acceptus sermo in cordis aure remaneat. Curate, ne semen iuxta viam cadat, ne malignus spiritus veniat, & à memoria verbum tollat. Curate ne petrosa terra semen excipiat, & fructum boni operis sine perseverantiae radicibus mittat. Multis enim libet quod audiunt, boni operis initia proponunt: sed mox ut fatigari advertitibus ceperint, inchoata derelinquunt. Petrosa ergo terra humorem non habuit: quia hoc quod germinaverat, ad fructum perseverantiae non perduxit. Multi namque cum verbum contra avaritiam audiunt, eandem avaritiam detestantur, rerum omnium contemptum laudant: sed mox ut videt animus quod concupiscat, obliviscitur quod laudabat. Multi cum verbum contra luxuriam audiunt, pollutiones carnis non solum perpetrare non appetunt, sed etiam perpetratas erubescunt: sed mox ut carnis species eorum oculis apparet, sic mens ad desideria rapitur, ac si adhuc ab ea nihil sit contra haec eadem desideria deliberatum: & damnanda agit, quae quidquid egisse se meminit, jam & ipsa damnavit. Saepè etiam contra culpas compungimur, & tamen post haec ad easdem culpas redimus. Sic Balaam Israelitici populi tabernacula contemplatus flevit, eisque se similem fieri in morte depoposcit, dicens: *Moria- Num. 23. tur anima mea morte iustorum, & sicut novissima mea horum similia*: sed mox ut hora compunctionis transit, in avaritiae nequitiam exarsit. Nam propter promissa munera, in ejus populi mortem consilium dedit, cuius morti se fieri similem optavit: & oblitus est quod planxerat, cum extinguere noluit quod per avaritiam ardebat. Notandum verò est, quòd exponens Dominus dicit, quia sollicitudines, & voluptates, & divitiae suffocant verbum. Suffocant enim, quia importunis cogitationibus suis guttur mentis strangulant: & dum bonum desiderium intrare ad cor non sinunt, quasi aditum flatus vitalis necant. Notandum etiam, quòd duo sunt quae divitiis jungit, sollicitudines videlicet & voluptates: quia profectò & per curam mentem opprimunt, & per affluentiam resolvunt. Re enim contraria possessores suos & afflictos & lubricos faciunt. Sed quia voluptas convenire non potest cum afflictione, alio quidem tempore per custodiae suae sollicitudinem affligunt, atque alio per abundantiam ad voluptates emolliunt. Terra autem bona fructum per patientiam reddit: quia videlicet nulla sunt bona quae agimus, si non æquanimiter etiam proximorum